



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio secunda. Vtrum Christus, vt summus sacerdos habuerit potestatem
ad ferendas leges.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

seruum meum David, ipse pascet eas, & ipse erit eis in pascu-
 flore: ego autem Dominus ero eis in Deum, & seruus me-
 us David princeps in medio eorum, ego Dominus locutus
 sum, & faciam cum eis pactum pacis, &c. Quod tan-
 dem regnum agnouit latro, quando in cruce pen-
 dens dixit, Memento mei, Domine, cum veneris in re-
 gnum tuum, Luc. 23. non enim temporale commo-
 dum, sed spirituale remedium postulabat, & ideo
 Ioan. 18. dixit Christus Pilato, Regnum meum non est
 de hoc mundo, id est, non est terrenum, neque habens
 carnalem originem: sed coeleste, & à Deo manans,
 atque ad ipsum tendens. De hoc denique regno pas-
 sim sic in Scriptura mentio, præsertim in Psalm. 44.
 in 109. & apud Isai. frequentissime, præsertim capite
 secundo. Venite ascendamus ad montem Domini, &c. &
 capite 49. Dedit in lucem gentium, &c. & capite 60.
 Surge, illuminare Ierusalem, sed præcipue præfiguratum
 est apud Daniel. cap. 2. in statua illa, quam vidit Na-
 buchodonosor, & paruo lapide abscisso de monte sine
 manibus, qui statuam contriuit, & scissus est mons
 magnus, & impleuit vniuersam terram, de quo postea
 subdit, In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus
 celi regnum, quod in æternum non dissipabitur, & re-
 gnum eius alteri populo non tradetur. Ratio autem ob
 quam merito hæc Christi potestas regia appellatur,
 est illius dignitas, & excellentia, quæ plurimis mo-
 dis superat omnium temporalium regum potesta-
 tem, & dignitatem. Primo in fine eius, qui coelestis
 est, & sempiternus: deinde in amplitudine, quia nõ
 solum terram vniuersam, sed etiam coelum ipsum
 amplectitur. Præterea, quia non temporalis est,
 & caduca, sed æterna. Ad hæc, non solum corpo-
 ribus, sed etiam animis dominatur, eorumque vti-
 litatem, & sanctitatem præcipue efficit, vnde & ad
 hunc finem cæteras res omnes sibi subiectas habet.
 Est ergo potestas hæc regia, & Christus, qui illam ha-
 bet, verus spiritualis Rex, tanto cæteris regibus præ-
 stantior, quanto eis prudentia, iustitia, bonitate, ac
 potentia antecellit.

Et hinc sequitur secundò, hanc potestatem ex-
 cellentiam esse propriam, & singularem ipsius Chri-
 sti, sicut enim sacerdotium eius singulare est, & o-
 mnibus alijs superius: ita etiam potestas, quæ illud
 consecuta est, singularis est, & suprema, & ideo po-
 testas excellentiæ appellata est. Vnde & actus huius
 potestatis à solo Christo fieri potuerunt solus enim
 ipse potuit Ecclesiam condere, instituere sacramen-
 ta, potestatem dare ad remittenda peccata, & tri-
 bunal erigere, in quo peccata in foro animæ diudi-
 carentur: solus etiam potuit eo modo quo vellet,
 absque certis verbis vel signis sanctificare animas,
 & peccata remittere, vt supra questione 13. late tra-
 ctatum est. Quocirca quamuis vicario, & ministris
 suis, quandam participationem huius potestatis
 Christus reliquerit, nemini tamen æqualem pote-
 statem communicauit: sed certa ratione, & modo
 ab ipso prescripto, quem nullus præter ipsum muta-
 re potest: vnde cæteri, vt vicarij, seu ministri eius o-
 perantur, vt Paul. dixit ad Ephes. 4. & ipse præcipue
 in omnibus operatur, vt Augustinus colligit ex illo
 Ioan. Hic est, qui baptizat: ac denique in nomine, &
 virtute eius sanctificantur sacramenta, & remittun-
 tur peccata, iuxta illud 1. ad Corinth. 1. Nunquid in
 nomine Pauli baptizati estis? itaque sicut nullum est
 caput Ecclesiæ, qualis Christus est, ita nulli data est
 potestas influendi, & regendi Ecclesiam æqualis po-
 testati Christi.

Quod si inquiras, an hæc potestas saltem com-
 municari potuerit puræ creaturæ. Responsio huius
 petenda est ex ijs, quæ de gratia capitis diximus: est
 enim eadem. quoad illos namque effectus, qui non
 includunt intrinsecè respectum ad gratiam vni-
 onis, communicari potuit puræ creaturæ, vt ad san-
 ctificandum homines, ad regendum illos, & insti-
 tuenda sacramenta, vt suo loco dicetur, & similia.

At verò quoad aliquos effectus, præsertim morales,
 qui requirunt necessariò personam diuinam ope-
 rantem, vt est sanctificare iustos ex perfecta iustitia,
 & ad perfectam æqualitatem pro illis satisfacere.
 Item quoad modum obtinendi hanc potestatem,
 tanquam sibi propriam & connaturalem, non po-
 tuit communicari puræ creaturæ, vt per se constat.

Vltimò interrogare potest aliquis, quo tempore
 communicata fuerit Christo homini hæc potestas.
 Respondetur breuiter potestatem ipsam à primo
 instanti conceptionis fuisse illi datam, nam ex tunc
 incepit esse sacerdos, & mediator Dei, & hominum,
 & statim cepit sacrificium Patri pro hominibus of-
 ferre, tota enim Christi vita fuit veluti quoddam
 continuatum sacrificium quod in vtero Virginis
 inchoatum est, & in cruce consummatum: vnde
 (vt supra vidimus) ab illo primo instanti mereri
 cepit hominibus, & pro illis satisfacere, & paulò
 post per hanc potestatem Ioannem sanctificauit, &
 Elisabeth Spiritu sancto repleuit, & Zachariæ do-
 num prophetiæ tribuit, & matrem suam auctori
 gratia, & maiori prophetiæ dono cumulauit. Deni-
 que cum hæc potestas ratione vniõis debita esset,
 neque villa esset ratio, vel impedimentum, quod
 ab illa obtinenda retardaret, statim communi-
 cata est: vsus verò eius in discursu vitæ, pro tempo-
 rum opportunitate demonstratus est: plenior ve-
 rò & integra manifestatio eius, post resurrectionem
 apparuit, vt multi Patres docent, exponentes in
 hunc sensum verba illa, Data est mihi omnia potestas in
 celo, & in terra.

SECTIO II.

*Primum Christus vt summus Sacerdos habuerit po-
 testatem ad ferendas leges.*

In hoc dubio duo errores extremi cauendi sunt.
 Alter fuit Pelagianorum, Petri Abialardi, & alio-
 rum hæreticorum, qui Christo negarunt proprium
 munus redemptoris, & sanctificatoris nostri, so-
 lumq; illi tribuebant officium doctoris, & ad sum-
 mum legislatoris. Contra quos hæreticos satis in
 superioribus dictum est. Alter est multorum Lu-
 theranorum, qui ita tribuunt Christo officium re-
 demptoris, & sanctificatoris nostri, vt ferè munus
 legislatoris negent: dicunt enim legem gratiæ esse
 legem libertatis, nihilque in ea Christus præcepisse,
 quod ad salutem necessarium sit, præter solam
 fidem. Contra quos hæreticos ex professo in mate-
 ria de legibus, de fide, & de gratia, differendum est.
 Nunc breuiter, quantum præsens locus postulat,
 ostendendum est, Christum & potestatem, & vsum
 ferendarum legum, & spiritualium præceptorum
 assumpsisse.

Dico ergo primò, Christum Dominum habuisse
 potestatem iurisdictionis spiritualis ad ferendas le-
 ges, quibus homines obligaret. Est de fide definita
 in Concilio Tridentino, sess. 6. can. 21. vbi definitur
 Christum non solum nobis esse datum in redem-
 ptorem, sed etiam in legislatorem, cui pareamus. Et
 probatur ex sacra Scripturæ promissionibus Psalm. 2.
 Ego autem constitutus sum Rex ab eo, & infra, Reges eos
 in virga ferrea, id est, in flexibili iustitia, vt exponit
 August. Hilarius autem aduertit verbum Græcum
 ποιμαίνω, idem significare, quod pastorem more gu-
 bernare, quod inter homines idem est, quod regere
 per doctrinam, & legem, quæ ibi per virgam signifi-
 catur, & quia solidissima, & inflexibilis est, ferrea di-
 citur, de qua Psalm. 44. Virga directionis seu aquitatis,
 virga regni tui, vnde Isai. 33. de Christo dicitur, Domi-
 nus Rex noster, Dominus legislator noster, & Ierem. 31. Da
 bo legem meam in cordibus eorum, quæ Matth. 11. in
 gum suauis dicitur, vt exponit Cyril. Alexand. lib. 2. ad
 Regin. sub titulo, Quod Christus sit Deus, ex Mattheo,
 vnde

vnde etiam constat hæc veritas ex vsu huius potestatis. *Joan. 13. 14.* statim, nam *Joan. 13.* dicit ipse Christus, Mandatum meum do vobis, & capite 14. Si diligitis me, mandata mea seruare, & qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me, & capite 15. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, & *Matth. vltim.* inquit, Docentes eos seruare omnia quaecumque mandauimus vobis. Idem constat ex illis comminationibus, Nisi quis renatus fuerit, *Joan. 3.* Et nisi manducaueritis carnem filij hominis, *Joan. 6.* quæ præceptum necessario inuoluunt. Ratio vero est, tum, quia totum hoc debitum est maiestati, & regie ac sacerdotali dignitati Christi, quia verus Rex habet potestatem ferendi leges, atq; adeo & obligandi: tum etiam, quia ad finem illius sacerdotij, & ad salutem, & bonum nostrum erat hoc etiam necessarium.

Obiectio. Dices. *Joan. 1.* dicitur Lex data per Moysen, gratia autem, & veritas per Christum, indicatur ergo Christum

Responsio. non fuisse legislatorem, sicut Moysen. Respondet *August.* toto lib. de Spirit. & lit. vnumquodque de-

nominari ab eo, quod in illo præcipuum est, lex autem Moysis fuit tantum lex, præcipiebat enim, &

non iuuabat, & ideo nomen legis retinuit: lex verò Christi & præcipit, & iuuat, imo pauca præcipit, &

plurimum gratiæ confert, vel potius prout ab ipso Christo immediatè lata est, nihil præcipit, nisi quod

ad gratiam augendam conferre potest, quia in lege noua Christus nulla alia præcepta posuit, nisi fidei, &

sacramentorum. Et ideo hæc lex, gratiæ nomen obtinuit, & iugum suus vocatur, & à Paulo ad *Rom. 8.* dicitur, Lex spiritus vite in Christo Iesu, qua liberat à

lege peccati, & mortis. Adde, legem veterem non esse datam à Moysè ut autore, sed à Deo per Moysen:

Christus verò fuit autor legis gratiæ, quæ per ipsum facta est.

Potestas Dico secundò. Hæc potestas legislatiua fuit in

Christo cum singulari quadam excellècia, cum qua nulli creature communicata est. Est certa, & probatur,

& explicatur varijs modis, primo ab origine, quia hæc potestas in illo fuit quodammodo diuina,

erat enim potestas Dei, & à propria dignitate personalis manauit. Propter quod ius per hanc potestatem

constitutum, simpliciter diuinum est, quia licet proxime per humanitatem datum sit, tamen ab ipso

Deo immediatè datum est, & per diuinam potestatem, & iuxta diuinæ voluntatis beneplacitum,

vnde *Deuteron. 18.* ait Moyses de Christo loquens, Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut

me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, & infra, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque

ad eos omnia, quæ per cepero illi, qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluierit, ego vltor existam.

Secundò ex perfectione, & excellentia præceptorum, quæ per hanc potestatem imposita sunt, omnia

enim ad internum bonum animæ pertinent, & ad maiorem cognitionem Dei, maioremque cum illo

coniunctionem, velati in materia de sacramentis ostendendum est. de quibus nunc sufficit dictum

illud *August.* libro 19. contra Faust. capite 13. nobis data esse sacramenta, seu præcepta virtute maiora, vt. luate

meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam iustitia fieri reuelata, & in libertatem vocatis filijs Dei. Tertiò

per hanc potestatem potuit abrogari lex vetus, etiam si à Deo data esset, non solum, quia cum Christus

esset finis legis, vt dicitur ad *Rom. 10.* postquam per ipsum completa est, veluti sponte sua euauit, sed

etiam quia, vt dicitur ad *Heb. 7.* Translatio sacerdotio necesse est, vt legis translatio fiat. De quo videri potest

August. toto illo lib. 19. contra Faust. præsertim à capite 7. Quartò potestas hæc fuit amplissima in vniuersum orbem, iuxta illud, Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra, *Psalm. 2.*

& ideo *Marc.* vlt. ipse præcepit Apostolis, Euntes in mundum vniuersum predicate, & c. & *Matt. vlt.* dixerat,

Matth. 28.

Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra. Quocirca, sicut gratia Christi omnibus communicatur, & Ecclesiæ eius Catholica est, & vniuersalis, de se omnes complectens, ita & iurisdictio amplissima est, & actus tam internos, quam externos, & ad omnium virtutum materias, & ad omnes effectus supremæ potestatis, quales sunt dispensare, abrogare, & similes: est enim perfectissima potestas, & diuina. Quintò denique (vt ex præcedent. sect. patet) non solum potuit Christus per hanc potestatem leges condere, sed etiam potuit Vicario suo hanc potestatem impartiri, quam illi communicauit: non quidem cum æquali perfectione, tamen cum tota illa quæ ad perfectè regendam Ecclesiā necessaria fuit, velati in proprio loco ostendendum est.

DISPUTATIO XLVIII.

In duas Sectiones distributa.

De temporali regno Christi Domini.



Isputatio hæc commodè præcedentibus adiungitur, quia D. Thomas in 1. Christum Regem, sacerdotem, & legislatorem fuisse docuit, & Melchisedech Rex simul & sacerdos existens vtramque cognitatem in Christo præfigurauit, vt ergo vtraque dignitas perfectè maneat explicata, duo à nobis in hac disputatione præstanda sunt. Primum enim videndum est in particulari de regno Iudæorum, an ad Christum pertinuerit aliquo proprio, & humano titulo. Deinde de vniuersali regno, & domino totius orbis breuiter dicendum erit.

SECTIO I.

Vtrum Christus hereditario iure temporale regnum Iudæorum obtinuerit.

In hac re fuit sententia Armachani libr. 4. de quaest. Armenor. c. 15. & 16. dicentis Beatam Virginem habuisse ius hereditarium ad regnum Iudæorum, quia linea recta descendebat ex familia David,

& deficiente viro, foemina in hereditate succedebat, *Numer. 27.* & 39. neque enim esset, cur ab hæc-

nerali lege excipiat regis hereditas, cum neque in tota lege cautum sit, neque foemina sit incapax regni, vt per se manifestum est, cum ergo parente Virginis ex stirpe regia directè descenderint, & alium

filium non habuerint, ad Virginem deuoluta est hereditas, & ius, quod ipsi ad regnum habebant, ergo,

Cum Christus fuerit vnicus filius Virginis, in illum transfundendum fuit hoc ius. Quam sententiam

confirmat nonnullis Scripturæ testimonijs, *Mich. 5.* Et tu Bethleem terra Iudæ, nequaquam minima es in principibus Iudæ, ex te enim orietur dux, qui regat populum

meum Israel, & *Ierem. 23.* Suscitabo David gemem in-

istum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & c. & alij similibus, quibus supra probauimus Christum esse

Regem. Confirmat secundò, quia pueri Hebræorum cantabant Christo, Benedictus Rex, qui venit in nomine Domini. Benedictum quod venit regnum patris

nostri David, *Marc. 11.* Luc. 19. quas voces Christus non cohibuit, sed potius probauit, sicut Pilato interroganti, *Matth. 27.* Tu es Rex Iudæorum? quam-

uis ipse de regno temporali interrogaret, Christus annuendo respondit, Tu dicis, vnde *Matth. 17.* Petro

dixit Christus, se esse liberum ab obligatione soluendi tributum, tanquam filium Regis, ad quem re regnum pertinebat. Vltimò confirmari potest ex

1. Machab. 14. vbi cum senatus, & principes Iudæorum Simonem Machabæum, eiusque successores, in di-